Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1577

Quelle:
Copyright:

li, quo beatam inſtruxit elizabeth de ſtatu perfectionis et eximie virtutis. Demum Literae *Gregorii* IX. de Canonizatione et *Innocentii* IV. de Translatione. Atque has *Prayus* inſeruit *Diſſertationi* ſuae *praeviae*, ut et alia quaedam e recenſitis, quaedam vero in fontibus ſuis reperiſſe non videtur, licet Syllogen Miraculorum a Sede Apoſtolica adprobatorum ſubjunxerit.

VI. *fol.* 263. *Incipiunt omelie beati Ceſarij.* Incertae illae vulgo, et inter *Arelatenſem* Praeſulem et *Euſebium Emiſſenum* fluctuantes, unde et Noſter ad calcem: *Expliciunt Omelie beati Euſebij emiſeni. Alibi autem intitulantur Sermones vel Omelie beati Ceſarij Epiſcopi Arelatenſis.* Sunt numero XII. et ex his

Caeſarii T. VIII. *Bibl. PP. Lugd.*
I. 26.
II. 27.
III. 28.
IV. 29.
V. 30.
VIII. 31.
IX. 1.

Euſebii T. VI. *ibid.*
VI. ad Monachos 7.
VII. — — — 8.
X. — — — 1.
XI. — — — 2.
XII. — — — 3.

VII. *fol.* 277. *Conſtituciones Concilij Baſilienſis.* Excerpta e Seſſionibus, quae ad *Collect. Concill. Labbei* edit. *Venet.* T. XVII. exigam. *Seſs.* I. *col.* 220. II. 235. VIII. 259. XII. 275. XV. 288. XVI. 291. XVIII. 305. XIX. 312. XX. 314. XXI. 317. XXIII. 332. XXIV. 340. Atque iſtud Excerptum eſt Bulla *de Indulgentiis: Vox illa iocunditatis* &c. quam ſequuntur Puncta ex illa extracta Populo in lingua vulgari exponenda, et ipſa Bulla in germanicum verſa adhaerentibus duabus Executorialibus latinis, quarum prior *Hainrici ſuperioris Stiriae Archidiaconi* ad Parochos et Chriſti fideles data in *Gozz* (Göſs) a. 1437. altera *Hainrici Plebani in Kirchperg Super. Styrmarch* pariter *Archidiac.* et *Commiſſarii ſubdeputati* ab *Henrico de Fleken* Vicario generali et Officiali Eccleſiae et Curiae *Salczburgen.* et Magiſtro *Joh. Hymel* ſacrae Paginae Profeſſore *Viennen.* quibus accedit Fides ejusdem *Henr. de Fleken*, qui ſe *Commiſſarium ad proſequendum indulgentias propter reductionem Grecorum* adpellat. Succedit Epiſtola *Eugenii* de Reductione Graecorum, ut *Labb.* T. XVIII. *col.* 1181. Damnatio *Baſileenſis* Ejusdem, ut T. XVII. *col.* 390. Reſcriptum *Eugenii*, ut T. XVIII. *col.* 1202. et Promulgatio Jubilei a *Nicolao* V. 1450. celebrati, et anno ſequenti per Card. *Nicolaum de Cuſa* in Germania diditi. Data eſt poſt Congregationem *Salisburgi* 3. *Febr.* habitam pro Diſtrictu *Vien-*